



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671


Art. I. Vtrum unio Verbi carnati sit facta in natura, vel in persona?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Unde fallum est quod ex peccato originali & actuali compositum fuerit totale & adequatum motivum decreti Incarnationis; motivum enim primarium & principale illius, fuit delictio peccati originalis; secundarium verò & minus principale, redemptio seu liberatio à peccatis actualibus.

82. Obijcies secundò contra secundam conclusionem: Christus venisset in mundum, etiam si non omnes homines, sed unus solum homo peccasset; Ergo potiori iure venisset, si essent plurium hominum peccata, quam vis non esset in illis peccatum originale. Consequentia patet, Antecedens verò est D. Chrylostomi homil. 3. in Acta Apostol. ubi explicans illa verba, & dederunt eis sortes, sic ait: *Unius anima perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio possit estimare, etenim si unius anima salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pararetur &c. Quibus verbis clarè docet, propter peccatum solum unius hominis, venturum Christum, etiam si alia futura non essent.*

Respondeo, negando Antecedens, & ad illius probationem dico, Chrylostomum verbis illis solum intendere, misericordiam & amorem Christi erga singulos homines commendare, ratione cuius ita affectus erat, ut etiam pro uno peccatore redimendo, si Deus ita decrevisset libenter vitam & sanguinem effudisset; sed hoc non ostendit quod ex vi præsentis decreti, pro uno solum peccatore Christus venisset.



DISPUTATIO VI

De quidditate Incarnationis.

Ad questionem 2. Divi Thoma.

Explicatà possibilitate, convenientiâ, & necessitate Incarnationis, & demonstrato sine præcipuo primario & propter quem facta est, contentens est ut de ejus quidditate & essentia differamus, modumque quo unio hypostatica facta est, declatemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura, vel in persona?

1. Diximus in disputatione præcedenti, circa Verbi Divini Incarnationem, & modum quo unio Verbi Divini cum humanitate in Christo facta est, duos olim fuisse errores omnino oppositos. Primus fuit Nestorii, Patriarchæ Constantinopolitani, qui negabat unionem naturæ humanæ & divinæ in Christo fuisse factam in persona, sive ex hac unionem resultasse unam personam, quæ simul esset Deus & homo; sed dicebat Christum esse personam creatam, atque purum hominem, cui erat Verbum Divinum unitum unioni accidentali. Primò secundum inhabitationem, in quantum scilicet Divinum Verbum habitavit in illo, sicut in templo, specialiori modo quàm in aliis justis. Secundò per unitatem seu conformitatem affectus, in quantum voluntas illius hominis erat semper conformis voluntati Verbi Divini. Tertio secundum operationem, quia dicebar hominem illum fuisse Divini Verbi

instrumentum. Quarto secundum dignitatem honoris, prout scilicet omnis honor qui tribuitur Filio Dei, coeque beatur filio hominis, proprie conjunctionem ad filium Dei. Hinc Christum non Deum, sed Deiferum esse dicebat, & B. Vagnem, non Deologum, id est Deiparam, sed Christiparam, hoc est Christiparam, appellabat. Hinc etiam negabat has locutiones, Deus est passus, Deus est mortuus &c. quas Catholici admittunt, propter communicationem idiomatum.

Secundus error fuit Eurychetis, Dioscori, & aliorum, qui ut unitatem personæ contra Nestorianos fervarent in Christo, dixerunt in eo esse unam tantum naturam: ita quod quamvis ante unionem essent duæ naturæ distinctæ, & divina & humana, unione tamen coierunt in unam naturam, & dicebant Christi personam ex duabus naturis esse non autem in duabus naturis subsistere. Illud tamen observandum est, Eurychem in hoc discipulo se à Dioscoro, quòd dixerit in Christo unam esse naturam, scilicet divinam, per confessionem naturæ humanæ in illam: Dioscoro verò, & alii Eurychetis Discipuli, crediderunt ex divinitate & humanitate, tanquam ex partibus, factam tuellendam naturam completam, partim divinam, partim humanam, nimis literaliter utropatque exemplum S. Ambrosii in suo Symbolo dicentis: *Sicut anima rationalis & caro, unus est homo; ita Deus & homo, unus est Christus.* Hunc modum dicendi sequuntur Armeni, D. Leoni infensissimi, quem in suis sacrificiis anathematizare solent, eò quod errorem illum damnaverit.

S. I.

Uterque error proseribitur, & veritas Catholica stabilitur.

Dico primò: Unio Verbi Divini cum humanitate in Christo, non est facta in natura, ut proinde necessariò asserendum est, Christum duabus constare naturis, divinam scilicet & humanam, in eadem persona Verbi unitis.

Conclusio est certa de fide, ac definita in pluribus Conciliis, præcipue in Calcedonensi a c. 1. & 5. in quinta Synodo a c. 1. & in sexta a c. 11. 13. & 18. & tandem in Lateranensi cap. firmiter, colligiturque manifestè ex variis locis Scripturæ, ubi Christus verus Deus & verus homo dicitur, non possit enim sic denominari, nisi divina & humanâ naturâ constaret.

Ratio etiam suffragatur, nam ut dicitur D. Thomas hic art. 1. tribus modis contingit fieri aliquid unum ex duobus aut pluribus: Primò ex duobus integris, perfectis remanentibus, vel sine ullo ordine unitis, ut ex pluribus lapidibus fit acervus: vel aliquo ordine unitis & dispositis, ut ex lapidibus & lignis, secundum aliquem ordinem dispositis, fit domus. Secundò fit unum ex duobus perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum. Tertio fit unum ex aliquibus non permixtis, vel permixtis, sed imperfectis, ut ex anima & corpore fit homo. At nullo ex his tribus modis dici potest, divinam naturam & humanam concurrille in Christo ad constitutionem unius naturæ: Ergo dicendum est, unionem Verbi Divini cum humanitate non esse factam in natura. Major patet à sufficienti enumeratione modorum quibus contingit fieri aliquid unum ex duobus, vel pluribus. Minor etiam quod primam partem manifesta est, quia modus ille dicendi potius pertinere videtur ad errorem Nestoriani, & aliorum asserentium unionem hanc esse accidentalem.

§. II.

Solvuntur objectiones.

etiam diuinarum personarum, quam eorum qui di- A
cont unionem factam esse in natura; quando enim
duo nature completæ uniantur solum per modum
dispositionis & ordinis, aut simili alio modo, unio
est accidentalis, & natura ista trahunt secum sua
supposita, ut patet in compositione domus, exerci-
tius &c.

Quoad secundam verò partem probatur, tum
quia natura divina transmutari nequit aut corrup-
ti, cum sit omnino immutabilis & incorruptibilis;
tum etiam quando aliqua plurimum distans, ita ut
natura in virtute potentius sit alio, non potest fieri
mixtio, quia per illud potentius, aliud con-
stituitur, ut patet cum parum a qua amphora vini
ponitur: unde si per transmutationem divina &
humana natura in Christo unirentur, divina natu-
ra que potentissima est, converteret in se huma-
na. Addit S. Doctor, quod si hoc modo divina &
humana natura in Christo unirentur, Christus non
esset ejusdem nature cum Patre, nec cum Matre; id
enim quod est commixtum, cum nullo miscibilem
est eadem specie, differt enim specie caro à quolibet
elementorum.

Denique Minor quoad tertiam partem suade-
tur, tum quia utraque natura in Christo secundam
eandem rationem perfecta & completa remanet:
tum etiam, quia Deus non potest esse forma alie-
ne, præsertim corporali.

Dico secundò: Unio Verbi Divini cum humani-
tate facta est in persona.

Hæc etiam conclusio est certa de fide, & definita
in variis Conciliis contra Nestorium, præsertim in
Ephesino, in quo propter oppositum errorem Ne-
storiani à Patriarchatu Constantinopolitano depo-
situs est in Calcedonensi actione 7. & in sexta Syn-
odo Generali actione 4. Colligitur etiam ex Sym-
bolo Athanasii, ubi Christus unus dicitur, non confu-
sus personarum, sed unitate persona. Item in Pontificali
Romano consecrandus in Episcopum interrogatur:
Credis Filium Dei Christum in duabus naturis subsisten-
tem? Respondet, Credo: ut hac professione fidei,
etiam Eutichetis, qui unicam in Christo naturam;
& Nestorii, qui duas in eo personas credebat, ab-
renuntiet.

Probatur etiam conclusio ratione D. Thomæ:
Secundum fidem Catholicam natura humana per
infectionem incarnationis verè & realiter fuit unita
Verbo Divino: Sed illa unio non fait in natura, ut
contra Eutichetis ostendimus: Ergo necessariò fuit
in persona tanquam in termino unionis. Conse-
quentià patet, nulla enim alia potest intelligi unio
Verbi, nisi vel in natura, vel in persona: unio enim
secundum affectu, vel secundum aliquam eximiam
gratiã, personæ amatæ collatam, qualem solum in
Christo advertebat Nestorius, tres personas san-
ctissime Trinitatis æqualiter respicit, quia opera ad
trinitatem toti Trinitati communia.

Confirmatur: Per mysterium Incarnationis De-
us & homo de se invicem prædicantur: ista enim
propositiones, Deus est homo, & homo est Deus, veri-
ficantur & Catholice: Ergo per Incarnationem
divina & humana natura unitæ fuerunt in unico
supposito Verbi Divini. Consequentia patet, nam
duo nature non possunt in concreto de se invicem
prædicari, nisi ratione unitatis suppositi in quo con-
veniunt: idcirco enim hæc propositio est vera, al-
bum est dulce, quia albedo & dulcedo uniantur in
eodem supposito.

Objicies primò contra primam conclusionem 8.
authoritatem D. Cyrilli, quæ refertur in Con-
cilio Calcedonensi actione 1. Non oportet intelligere
duas naturas, sed unam naturam Verbi Dei incarnatam.
Ergo unio nature humanæ ad Verbum est facta in
natura.

Respondeo cum D. Thoma hic art. 1. ad 1. au-
thoritatem illam Cyrilli exponi in 7. Synodo gene-
rali act. 5. his verbis: Si quis naturam Verbi Dei incar-
natam dicens, non sic accipiat sicut Patres docuerunt, quia
ex divina natura & humana unio est secundum substanti-
am facta, sed ex talibus vocibus, naturam unam sive sub-
stantiam divinitatis Christi introducere conetur, talis Ana-
thema sit. Non est ergo sensus, quod ex duabus natu-
ris sit una natura constituta, sed quod natura Verbi
carne sibi univit in persona. Ratio autem cur D. Cy-
rillus ita locutus sit, fuit hæresis Nestorii, qui cõten-
debat in Christo esse duas naturas completas, suas
proprietas afferentes substantias, & consequenter
duas personas: unde merito negat in Christo esse
duas naturas in illo sensu, & asserit esse unam natu-
ram, non unitate essentiali, sed personali.

Objicies secundò: Athanasius dicit in Symbolo:
Sicut anima rationalis & caro, unus est homo; ita Deus &
homo, unus est Christus: Sed anima & caro consti-
tuunt unam integram hominis naturam: Ergo si-
militer Deus & homo efficiunt unam Christi na-
turam.

Respondeo in exemplis quibus hoc mysterium
explicatur, non esse quæendam perfectam quoad
omnia similitudinem, aliàs non esset singulare, ut
Augustinus dicit Epist. 3 ad Volusianum. Unde in
exemplo ab Athanasio adducto, non est similitudo
quantum ad omnia, sed solum quoad hæc, quod si-
cut corpus & anima, quamvis diversæ sint nature,
in una persona conveniunt: ita divina & humana
natura, quamvis distinctæ sint, in una persona cop-
ulantur. Tenet etiam similitudo quoad hoc, quod
sicut corpus trahitur ad esse animæ, ita humanitas
ad esse Verbi Divini: licet alias non conveniant in
eo quod sicut ex anima & corpore resultat una na-
tura, ita etiam ex humanitate & deitate. Unde Au-
gustinus Epistolâ citatâ: sicut in unitate persona anima
univertur corpori, ut homo fit; ita in unitate persona, Deus uni-
vertur homini, ut Christus fit.

Objicies tertio: In Scriptura unum fieri aliud,
est unum in alio converti, ut patet ex illo Joan.
2. Ut autem gustavit Archirelicinus aquam vinum fa-
ctam, id est aquam in vinum convertam: Sed
Joan. 1. dicitur: Verbum caro factum est: Ergo in
mysterio Incarnationis, natura divina in carnem
converta est.

Confirmatur: Apud SS. Patres, Verbum factum
est caro, ad eum modum quo in Eucharistia panis
fit corpus Christi Ita Iustinus Martyr apolog. 2.
Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. Cyprianus in term.
de Cœna Domini, Damasc. lib. 4. de fide cap. 14.
Sed panis transmutatur in corpus Christi, ita ut post
consecrationem non remaneat amplius panis sub-
stantia: Ergo similiter Verbum dicitur factum caro,
quia ejus substantia est converta in carnem.

Ad objectionem respondeo, quod licet ali-
quando in Scriptura, unum aliud fieri, significet
unum

untum in illud converti, ut in testimonio adducto A
de aqua vinum facta; pluries tamen non hoc modo
sumitur, sed significat acquisitionem alicuius novæ
formæ, vel esse, ut patet ex illo Genes. *Homo factus est
in animam viventem, & existit Paulus ad Hebræos 6.
Iesus Pontifex factus.* Quibus locis certum est, ly fieri,
non importare conversionem, sed acquisitionem;
& hoc modo sumitur in dicto testimonio, *Verbum
caro factum est.* Dicitur enim Verbum factum caro,
non quia sit convertum in carnem, sed quia assump-
psit carnem.

15. Ad confirmationem dicendum, comparationem
illam SS. Patrum in hoc solum esse positam, quod
sicut Divinum Verbum veram carnem & sangui-
nem habuit; ita sub speciebus panis & vini post
consecrationem est vera caro & sanguis Christi.

16. Objicies quartò contra secundam conclusionem:
Terminus actionis non potest esse ante actionem:
Sed persona Verbi Divini erat ante actionem uni-
tativam humanitatis: Ergo persona Verbi Divini non
potuit esse terminus hujus actionis, & consequen-
ter unio humanitatis ad Verbum non potuit esse fa-
cta in persona.

17. Respondeo cum D. Thoma quæst. unicâ de uni-
one Verbi art. 1. ad 3. quod unio non intelligitur
terminari ad personam divinam, secundum quod
est in se ab æterno una; sed secundum quod est unita
humanæ naturæ in tempore; & ita unio secundum
nostrum modum intelligendi præcedit personam
Verbi Divini, non prout est una; sed prout unita
humanæ naturæ. Unde in forma respondeo, distin-
guendo Majorem: Terminus actionis formaliter
sumptus non potest esse ante actionem, concedo
Majorem. Terminus actionis materialiter sum-
ptus, nego Majorem. Similiter distinguo Mino-
rem. Persona Verbi erat ante unionem, ut una, &
materialiter, concedo Minorem. Ut unita, & for-
maliter, nego Minorem & Consequentiam.

18. Objicies ultimò: Ubi sunt duæ generationes, ibi
debent esse duæ personæ: Sed in Christo sunt duæ
generationes; una ante sæcula ex Patre, & alia in
plenitudine temporum ex B. Virgine: Ergo in illo
sunt duæ personæ, & consequenter unio humanita-
tis ad Verbum, non est facta in persona, Major
probat: Omnis generatio terminatur ad suppo-
situm, vel personam: Ergo duplex generatio, ad du-
plex suppositum, seu personam terminari de-
bet.

19. Respondeo negando Majorem, ad probatio-
nem, concessio Antecedente, nego Consequentiam:
unum enim & idem suppositum, ratione du-
plicis naturæ, potest terminare duplicem genera-
tionem; nam licet suppositum terminet generationem
ut quod, tamen ipsa natura terminat ut quo, & per
modum termini formalis & specificativi: unde ad
terminandam diversam generationem, sufficit dis-
tinctio realis naturæ, cum distinctione virtuali sup-
positi, qualis reperitur in Christo, in quo natura di-
vina & humana subsistunt per subsistentiam Verbi:
quare eadem persona Verbi, quatenus suppositum
divinum, & prout subsistit in natura divina, secun-
dum quam est simile Patri æterno, terminat gene-
rationem æternam; in quantum verò est supposi-
tum humanum, & subsistit in natura humana, se-
cundum quam assimilatur matri, terminat genera-
tionem temporalem Beatissimæ Virginis.

EX dictis infero, unionem humanitatis ad
mentem, aut prædicabilem.

Prima pars patet: Nam uniri accidentaliter, est
quod medium unionis, & in quo fit unio, sit acci-
dens: At id in quo facta est unio duarum natura-
rum in Christo, non est accidens prædicamentale,
sed substantia; est enim facta in persona, ut ostendit
mus; persona autem non est accidens, sed substantia:
Ergo unio humanitatis ad Verbum non potest
dici accidentaliter prædicamentalis. Unde in Con-
cilio Ephesino can. 13. dicitur: *Ex Virginitate
sacrum corpus, cui substantialiter unum est Ver-
bum.* Et in 3. Synodo generali act. 3. can. 4. dicitur:
*non consecratur Filius Dei, carni substantialiter uniri
thema sit.*

Secunda pars est contra Durandum in 3. dist. 4.
quæst. 4. ubi etiam cum Catholicis sentiat, unionem
humanitatis ad Verbum non esse in accidente
factam, sed in persona; docet tamen posse dici huma-
nitatem accidentaliter Verbo advenisse, hoc est
accidentaliter prædicabiliter; cujus sententiam ap-
probasse videtur Paludanus in eadem dist. quæst. 1.
art. 3. Vera tamen & communis Theologorum
sententia asserit, nullatenus esse dicendum huma-
nitatem esse Verbo unitam accidentaliter, Tam
cum hæreticis in terminis & modo loquendi con-
veniamus; Tum etiam, quia quod de aliquo prædi-
catur in quid, non se habet respectu illius per mo-
dum accidentis prædicabilis; quod non prædicatur
in quid, sed in quale; sed humana natura prædi-
catur in quid de Verbo seu de Christo, nam D. Tho-
mas infra quæst. 1. 6. art. 1. docet hominem prædi-
cari de Deo prædicatione secundi prædicabilis, si-
cut species de sua hypostasi. Et Alexander III. in
cap. cum Christus, ait: *Cum Christus sit perfectus Deus,
& perfectus homo, quæ temeraria e audient quidam dicunt,
quod Christus secundum quod est homo, non est quid.* Ergo
humana natura non se habet respectu Verbi per
modum accidentis prædicabilis.

Confirmatur: Homo prædicatur univoce de
Christo & de aliis hominibus, ut docet D. Tho-
mas infra quæst. 16. art. 6. Sed homo prædicatur
quid de Petro v. g. nam hæc prædicatio, *Petrus est
homo*, pertinet ad secundum prædicabile: Ergo
pariter de Christo prædicatur in quid & non in
quale.

Objicies primò cum Durando: Quod adven-
turi completo, uniri illi accidentaliter: Sed hu-
mana natura advenit in tempore Verbo Divino
habenti esse omnino completum: Ergo est unum
illi accidentaliter. Minor patet, Major verò pro-
batur. Illud uniri alicui accidentaliter, quod pro-
test adesse & abesse sine ipsius corruptione: Sed
quod advenit enti perfectò & omnino completo,
potest adesse & abesse sine ipsius corruptione: Ergo
uniri illi accidentaliter.

Respondeo cum D. Thoma hic art. 6. ad 1. di-
stinguendo Majorem: Si non trahatur ad commu-
nicationem illius esse completi, concedo, si fecerit,
nego. Unde albedo uniri accidentaliter parti
nedum quia advenit illi ut habenti esse comple-
tum, sed quia non trahitur ad ipsum esse partem
tis, sed asserit proprium esse distinctum. At in
resurrectione, quia corpus reunitur animæ per-
existenti, & ad esse illius trahetur, non uniri

illo accidentaliter, sed substantialiter: quare cum natura humana assumpta fuerit ad esse Verbi, non fuit illi accidentaliter, sed verè substantialiter unita. Unde ad probationem in contrarium, eodem modo respondendum est, quod enim trahitur ad esse alterius, non unitur illi accidentaliter, sed verè substantialiter, quamvis possit ab illo abesse, sine ipsius corruptione; ut patet in corpore, quod ab anima rationali sine ipsius corruptione separari potest, per solam destructionem corporis, aut mutationem.

Obijciens secundò: Quidquid est extra essentiam alicujus, est accidens, saltem logicum, & de eo prædicatur accidentaliter: Sed humanitas est extra essentiam Verbi Divini: Ergo est accidens, saltem logicum, respectu illius, & de eo prædicatur accidentaliter.

Respondet primò, negando Majorem: rationalitas enim est extra essentiam animalis, non tamen est accidens respectu illius: forma est præter essentiam materiæ, & tamen non se habet ad illam ut accidens logicum, nec prædicatur de ea accidentaliter.

Respondet secundò, distinguendo Majorem: Quidquid est extra essentiam alicujus, est accidens saltem logicum respectu illius, & de eo prædicatur accidentaliter, si non communicet cum illo in aliquo esse substantiali, concedo Majorem. Si communicet cum illo in aliquo substantiali, nego Majorem: humanitas autem Christi trahitur ad esse substantiale Verbi Divini: unde licet sit extra ejus essentiam, non se habet ut accidens logicum respectu illius, nec de eo prædicatur accidentaliter.

ARTICULUS II.

An Persona Christi, verè & propriè possit dici composita ex natura divina & humana, & ex humanitate & subsistentia Verbi?

Negant plures ex antiquis Theologis, ut D. Bonaventura, Scotus, Durandus, & Richardus, existimantes unionem naturæ divinæ & humanæ in Christo, non esse rigorosam & propriam compositionem, sed impropriad tantum & metaphoricam. Alii verò fatentur quidem Christi personam esse verè & propriè compositam ex duabus naturis, sed non ex Persona Verbi & humanitate. Ita Asturicensis quæst. 7. de gratia Christi conclus. 4.

§. I.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

Dico primò: Christus est persona verè & propriè composita ex natura divina & humana. Ita S. Doctor hic art. 4. & ejus Discipuli communiter.

Probat primò ex 6. Synodo Constantino-politana act. 8. ubi formaliter definitur per unionem Incarnationis factam esse compositionem, & post unionem personam Christi esse compositam. Et ratio redditur ibidem, quia unio quæ per Incarnationem facta est, non solum inconfusè ea quæ convenerunt conservat, verum etiam divisionem suscipit. Idem definitur in 6. Synodo generali actione 4. in Epist. Agathonis Papæ ad Im-

peratores Heraclium & Tiberium, & actione 11. in Epist. Sophronii, approbata à toto Concilio, ubi Christus vocatur *persona composita ex inconfuso constans temperamento*. Et actione 29. cap. 6. damnantur qui non confitentur unam substantiam in Christo ex duabus naturis compositam. Eodem modo loquuntur SS. Patres, præsertim Damascenus lib. 3. fidei ubi ait: *In Domino Iesu Christo duas naturas agnoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam*; & D. Dionysius cap. 4. de divin. nomin. ubi hanc compositionem vocat inefabilem.

Probat secundò ratione: Quod constat ex realiter distinctis & unitis, est verè compositum ex illis; nam compositio nihil aliud est quàm distinctorum simul positio, sive unio; componere enim idem est ac simul cum alio ponere: Sed persona Christi constat ex duabus naturis realiter distinctis & unitis: Ergo est verè composita ex duabus naturis, divina scilicet & humana. Probat Minor: Persona Christi est divina simul & humana: Sed non esset talis, nisi per divinam & humanam naturam in esse talis constitueretur, atque ita nisi utramque contineret: Ergo verè constat ex duabus naturis realiter distinctis & unitis.

Confirmatur: Ubi est multitudo rerum abque compositione, necessarium est ut sit inordinata confusio, ut patet in acervo lapidum: Sed in persona Christi non est inordinata confusio naturarum: Ergo persona Christi debet esse composita ex duabus naturis.

Probat tertio conclusio: Terminus unionis hypostaticæ non est aliquid simplex, sed compositum: Atqui persona Christi est terminus unionis hypostaticæ: Ergo non est simplex, sed composita. Minor constabit ex infra dicendis, Major verò probatur: tum quia contra rationem unionis est terminari ad aliquid simplex, cum semper unio sit respectu distinctorum: tum etiam, quia extrema simplicia illius unionis ei præexistebant: Sed quod præexistit unioni, non est terminus illius: Ergo terminus unionis non est quid simplex, sed compositum.

Dico secundò: personam Christi esse compositam ex natura humana & persona Verbi.

Hæc conclusio sequitur ex dictis in præcedenti: Licet enim Concilia supra relata formaliter non loquantur de hac compositione, sed solum de illa quæ ex natura divina & humana; ista tamen non potest admitti, nisi alia ex natura & persona præsupponatur, quia prius & immediatius natura humana unitur personæ Verbi, quàm naturæ divinæ; nam ratio ob quam unitur naturæ divinæ, est quia unitur personæ Verbi: Ergo eo ipso quod SS. Patres & Concilia agnoscunt in Christo compositionem ex natura divina & humana, impliciter etiam in eo admittunt compositionem ex natura humana & persona Verbi. Adde rationem præcedenti conclusione adductam, hanc etiam convincere; siquidem unio distinctorum est compositio: Sed in persona Christi est unio Personæ Verbi cum natura humana, quæ realiter distinguuntur, & prior quàm unio duarum naturarum: Ergo in Christo est compositio ex persona Verbi & humana natura.